



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris  
Austriæ Provinciæ. Opus ...**

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum  
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In  
Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et  
Excessvs Amoris ...

**Rodt, Franz Joseph von**

**Campoduni, 1680**

Celsissimo, Et Reverendissimo, S. R. I. Principi Domino, D. Ioanni  
Christophoro Episcopo Augustano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](#)

CELSISSIMO,  
ET  
REVERENDISSIMO,  
S. R. I. PRINCIPI  
DOMINO,  
D. IOANNI  
CHRISTOPHORO  
EPISCOPO  
AUGUSTANO.

*Domino meo Clementissimo.*

**M**USICA in luctu (uti Siracides Eccles. 22.  
v. 6.) asserit ) importuna narratio ; quamvis enim ( eodem teste ) vinum & musica latifcent cor Eccles. 40.  
v. 20. hominis , à turbidis scilicet tristitia nubibus serenatum , notwithstanding tamen bene Lyranus , quòd Melodia non est Lyranus  
in Eccles.  
c. 22. conveniens lugentibus , quia non sunt dispositi ad gaudendum. Lugentibus enim leves musicorum soni , & saltatorij fidium moduli , graves sunt & molesti ,

# E P I S T O L A

molesti , luctumque in corde conglobatum , per antiperistasin adaugent.

Importuna, C E L S I S S I M E , E T R E V E R E N D I S S I M E  
P R I N C E P S , narratio mihi videretur , si musicam ,

si leves ludicræ scenæ jocos , aut dissolutum *artis*

Hieron.  
Epist. 34.  
ad Iulia-  
num.

*Rhetoricae leporem* ( ut verbis S. Hieronymi utar )

intonarem , dum undiq; , in calamitosis hisce tem-  
poribus , non jucundum *Canticum Patruelis no-*

Ifa. 5. v. 1.  
11.

*strī , Christi , Vineam ( Ecclesiam ) suam in loco*

*uberi plantantis inauditur , sed universalis potius*

Ioēl. 1. v.

*Planctus Agricolarum & Vinitorum : Confusi sunt*

11.

*Agricola , ululaverunt Vinidores , super frumento ,*

*vino , & hordeo , quia periit messis agri ; Vinea con-*

*fusa est . Hinc non jam resonant jucundæ Pasto-*

Jerem. 25.

*rum , in Dei Ecclesia , eclogæ , sed vox clamoris Pa-*

v. 36.

*storum , & ululatus Optimatum gregis , quia vasta-*

*vit Dominus pascua eorum , & conticuerunt arva*

*pacis , à facie ira furoris Domini . Et quidem quo*

*majores Dioceseos vineæ , eò ampliora hæresum ,*

*& zizaniorum theatra , & quo latiora pascua , eò*

*funestiora cruentis bellis afflictarum ovium spe-*

*ctacula .*

Quare lugentibus super Vineam , Ecclesiam , suam Vinitoribus , & plangentibus super gregem suum Pastorum Principibus , nunquid ergo vinitorum

## DEDICATORIA.

torum cooperator minimus , & pastorum pedissemus infimus , importunam , in luctu , narrationem , musicam intonabo ? Absit : quin immo illud mihi Ezechieli inculcari videtur : *Et tu assume* Ezech. 10.  
v. 1.  
*planctum, super Principes Israel, modernus enim,*  
& lamentabilis Ecclesiæ status , *Planctus est, Et* v. 14.  
*erit in planctum.*

Ut igitur Tuo , REVERENDISSIME ET CEL-  
SISSIME PRINCEPS , qui amplissimæ Vineæ Au-  
gustanæ Præful , ac Vinitorum Primas es , planctui  
me conformarem , PLANCTUM ECCLESIAE , ex primo  
Threnorum capite per Jeremiam Prophetam , in al-  
legorico sensu descriptum exorsus sum ; utque tibi ,  
( CELSISSIME PRINCEPS ) Pastorum Principi  
condolerem , ovium lachrymabiliter balantium  
( animarum dico ) planctum , in eodem capite  
moraliter à præfato Propheta adumbratum , ex-  
ponere cœpi . *Et vocabit Dominus in die illa ad* I. 12. v. 12.  
*fletum, Et planctum.*

Siquidem autem eruditissimus Rabanus , verbi  
Dei præcones , non compunctioni , sed applausui  
populi intentos graviter inculpat , *cum* ( inquit  
ille ) *Ecclesia panis, non sit panis ridentium, sed* Rabanus  
citat: §  
Com: Ec-  
clesiast.: 2  
*flentium* , maximè tamen hoc in funestis tempo-  
rum nostrorum conjuncturis est attendendum ,

††

ubi

## EPIST. DEDICAT.

ubi nulla ridendi, sed flendi tantum tempora ap-  
parent. Quidni igitur & ego cum plangente Ec-  
clesia, lamentante Propheta, ac gementibus Pa-  
storibus, ac Vinitoribus in planctum erumpam?

Plem. 9.  
v. 10.

*Assumam fletum, & lamentum.*

Hebr. 13.  
v. 20.

Hunc ergo meum de ECCLESIA in allegorico,  
& de ANIMA in morali sensu erumpentem PLAN-  
CTUM, TIBI REVERENDISSIME, ET CELSISSI-  
ME PRINCEPS, in genua provolutus, humili-  
mè offero, ac dedico, me, meāmque paupercu-  
lam Religionem, suppliciter commendans. Deus  
autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem ma-  
gnum ovium, in sanguine testamenti aeterni, ipse  
abstergat omnem lachrymam, & mors ultrà non  
erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit  
ultrà, usquedum evanescente allegoriæ umbra,  
& superatis militantis ( aut pene patientis dixerim )  
Ecclesiæ ærumnis, & planetibus, anagogicis ele-  
vationibus ad triumphantis Ecclesiæ tripudiantem  
musicam & gaudium, proscripto emni luctu, &  
abstensis lachrymis, transeamus. Interea longævam  
exoptans, ex infimo cordis affectu, prosperitatem,  
ac vitam, maneo

Apoc. 21.  
v. 4.

*Rev<sup>m</sup>. & Ill<sup>m</sup>. Celsitudinis Tue*

*Servus humiliatus & infimus*

F. Franc. Joseph Capuc. ind.